



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *SOLOLENSIS*

(*QUICENSIS*)* TERRITORIO DIOECESIS SOLOLENSIS DIVISO,

NOVA QUAEDAM DIOECESIS «*QUICENSIS*» NOMINE CONDITUR;

PRAETEREA AB ARCHIDIOECESI GUATIMALENSI REGIO CHIMALTENANGO SEPARATUR, QUOD PERPETUO DIOECESI SOLOLENSI ADDICITUR. Qui Christi, Dei Filii ac Redemptoris Nostri, consilio et voluntate universae Ecclesiae praesidemus, ea beati Augustini verba ad Nos praecipue facta semper existimavimus, esse nempe documentum amoris pascere dominicum gregem (cf. *In Io.* 21, 15-17). Quam ob rem, omni mente in ea cogitatione curaque versamur, ut christiano populo rectae doctrinae optimaeque institutionis industria Nostra bona paremus, pietateque in Deum pectora omnium imbuamus. Quae cum ita sint, venerabili Fratri Angelico Melotto Mazzardo, Episcopo Sololensi concedere volentes, qui, probante Consilio seu Conferentia Episcopali Guatimalensi, petiit ab hac Apostolica Sede ut diviso territorio suae Ecclesiae, quod latius pateret, alia dioecesis conderetur, Nos post venerabiles Fratres Nostros sententiam rogatos S. R. E. Cardinales rebus Consistorialibus praesidentes, itemque venerabilem Fratrem Brunonem Torpigliani, Archiepiscopum Mallianensem atque in Republica Guatimalensi Apostolicum Nuntium, haec censemus. A dioecesi Sololensi territorium detrahimus quod Departamento, ut dicunt, continetur, El Quiché; quo territorio dioecesim condimus *Quicensem* nomine. Item ab archidioecesi Guatimalensi civilem regionem, seu Departamento, quam populus Chimaltenango cognominat, separamus ac dioecesi Sololensi perpetuo addimus. Novae Ecclesiae Sedes in urbe erit Santa Cruz del Quiché; cathedrale templum, quod ibi est S. Helenae Imperatrici dicatum. Dioecesis Quicensis Sedi metropolitanae Guatimalensi suffraganea subicietur, sic ut eius Episcopus erit Metropolitae illius Ecclesiae obnoxius. Collegium cathedrale constituatur; quod si in praesenti impossibile sit, Consultores dioecesani deligantur, qui sacro Praesuli assint consilio, ope. Mensa, quam dicunt, episcopalis efficietur: Curiae emolumentis; populi collationibus, bonis, si qua sunt, quae facta divisione ad normam canonis 1500 C. I. C. novae Ecclesiae cedent. Ad Seminarii dioecesani structionem puerorumque institutionem quod pertinet, normae ad amussim serventur quae ius commune statuit, et leges S. Congregationis de Seminariis atque Studiorum Universitatibus, et Decretum «Optatam totius» Concilii Vaticani II. Cetera omnia ius Canonicum temperet. Simul ac autem constitutio novae dioecesis ad effectum deducta fuerit, Sacerdotes Ecclesiae illi addicantur, in qua beneficium vel officium habeant; ceteri clerici, Sacerdotes,

Seminarii que tirones ei, in qua legitime degant. Acta postremo, quae ad conditam dioecesim pertineant, vel ad territorium quod Sololensi Ecclesiae aggregatum est, propriis Curiis episcopalibus transmittantur, ibique summa religione serventur. Ceterum quae statuimus venerabilis Frater Bruno Torpigliani exsequatur, vel quem ille delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad S. Congregationem Consistorialem cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo septimo mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

<i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i>
---	--

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 17, pp. 1103-1104 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana